



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

VIII. Epistola eiusdem Henrici ad eundem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

folūm ibi, sed & in diuersis partibus Ecclesia nostri diuiditur Imperij. Igitur consilio nostrorum fidelium statuimus fieri Mognuntia colloquium in Dominico die ante proximum S. Andreæ festum. Huic colloquio omnes regni Principes nostri fideles inter sunt: Et præterea omnes, quorū nobis vtilis declaratur aut fides, aut cōsilio prouidētia. Ad quod venire te, quām int̄imè rogamus, quia nullatenus tam ardua negotia regni, & diuisio Ecclesiæ coadunari poterit, sine tua maxima sapientia, & egregio cōsilio & fide, quæ hac tenus nobis frequēter in necessitatibus, & in huiusmodi cōtrouersiis regni, prout nos voluimus, & res exegerat, prēstò fuit. Ad quod Colloquiū omnes Saxones nostri fideles veniēt, rogantes summopere, nos in Saxoniam venire, & hos nouos errores cōponere. Metenses autē è cōtrario Metim clamant nos transire; quatinus illic tandem pax & securitas reddatur Ecclesiæ. Nos quoq; inuitante Archi-episcopo, Colonia nativitatem Domini celebraturi sumus; & idcirco statuimus hoc Colloquiū ante fieri, vt huiusmodi dissensiones regni prius cōponeremus; quām nos in remotiora transiremus loca. Sed idcirco prædictam expeditionē distulimus, quatinus communī omnium nostrorum consilio, quæ nobis agenda sint, considerentur. Ergo rogamus te, per eam, quā compater nobis effectus es, dilectionem, ne te corporis a- gritudo, vel quælibet alia res impedit, quin ad præfatū Colloquium tempore statuto venias; & ibi iuxta magnam sapientiam & solitam fidem tuam de nostra & regni vtilitate, quæ necessaria sunt, nobiscum disponas.

## VIII.

*Epistola eiusdem Henrici ad eundem.*

**H**ENRICVS DEI GRATIA Romanorum Imperator Augustus Ruperto Babebergensi Episcopo gratiam, & omne bonum. Quoniam semper nobis fuisti fidelis, quemadmodum debuisti, & nostrum honorem sicut vir sapiens & fidelis egregius retinere & amplificare studuisti; grates tibi quām maximas referimus, & inde

Inde procul dubio scias dignam tibi facere remunerationem intendimus. Tuam igitur rogamus fidelitatem confidenter, ut beneficio, quod fuit \* Ou. diuitis nullam promissionem vel concessionem alicui facias, donec nobis loquaris, aut in-  
\* In M. S. v.  
fer, Vdonie.

de nostram sentias certis literis voluntatem. Si enim hoc at-  
tenderis, nos faciemus propter tuam charitatem, quod nos  
rogasti in tuis literis: Et tu stude honori nostro, sicut in te  
confidimus prouidere.

## IX.

*Epistola eiusdem Henrici ad eundem.*

**H**ENRICVS Dei gratia Roman. Imper. Augustus  
Ruperto Babenburgi Episcopo gratiam suam  
& omne bonum. Nouit optimè dilectio tua, quā-  
to tépore, quām optima fide nobis seruierit Ou.  
& filius eius G. qui nuper miseranda omnibus bonis, quia  
immatura, morte recessit à seculo. Vrget itaque nos tam hu-  
manitatis compassio, quam iustitiae necessitudo, vt in paruu-  
los eiusdem G. auita & paterna seruitutis memores simus, &  
orbitati eorum debitæ pietatis suffragio consulamus. Vnde,  
te sollicitè commonemus, & summis precibus obsecramus, vt  
filio eius Patris beneficium benignè pro respectu Dei, & no-  
stra interuentione concedas, nulla hoc differens occa-  
sione, nulla excusans, vel abnuens ratione. Com-  
mendationem autem pueri usque in præ-  
sentiam nostram vt differas ro-  
gamus, sicut de nobis  
curas.



Nn      Epi-